

dici solita Medicina, prout in Academiis & scriptis tractatur, communiter fieri solet ac debet) amplissimum te habiturum campum, quem facile intrabis at non facile peragrabis. Sed quandoquidem jacta est alea, casum ipsum propono.

Fœmina 25. circiter annorum, habitu corporis quoad aspectum carnosum satis, at suburgido, in nosocomio quodam, illis, quos pestilens aura corripuerat, à servitiis fuit. Hæc cum tempore quodam ad conclave quoddam properaret, sensit se occipite contracto retro trahi; at putans hoc sociam jocandi animo facere, increpavit illam jussitque abstinere, quia loci & temporis ratio jocum non admitteret, & sic non respiciens perrexit. Paulo post verò cum fortius se denuo trahi perciperet, & frustra se inobjurgando esse videret, indignabunda statim ad culinam se recepit. At pedem culinæ inferens eandem sociam suam quam ibi jam adesse impossibile ipsi videbatur, ibi præsentem videt, auditque eam strenuè negantem quòd ipsam capite traxerit. Quapropter subito multumque perturbata post dimidiam circiter horam in terram sternitur totiusque corporis motibus convulsivis contorquetur, contrahit fortiter digitos, & maxime pollicem intra palmam comprimit; caput pedesque valide quassat; præter palpitationem cordis pectus altè sæpius attollitur; spuma ex ore profluit; oculos in quem situm primo contorquet immotos tenet; difficillimè respirat & subinde stertit; sensuum etiam externorum internorumque usus cessat. Menses autem, cum hoc malum ipsam invadebat, fluebant. Atque ab eo tempore usque ad hoc præsens hæc calamitas illam, (iisdem paroxysmis non infrequenter redeuntibus) mansit. Paroxysmi circa tempus purgationis menstruæ crebrius illam emacerant; clementius quidem si bene purgatio succedat, durius & diutiùs si contra. Quòd si per intervalla longiora emanent, subito & illam vix tale quid metuentem, corripunt; si quotidie contra illam insurgant,

illorum